DE SATISFACTIONE, TERTIA POENITENTIÆ PARTÆ, DISPVTATIO: ANNO POST virginis partum M.D.LXXI. in Academia Ingolſtadiana publicè propoſita.

MATTHEI III.

Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne uelitis dicere inter uos, patrem habemus Abraham.

AD COLLOSCENSES I.

Gaudeo in paſsionibus meis pro uobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionibus Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

CHRISTO DVCE.

Diſcutientur hæ Theſes die Veneris proximo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INGOLSTADII,
Ex Officina VVeiſſenhorniana.
1571

VENERANDIS, MAGNIFICIS, ORNATISSIMISQVE VIRIS, AC DOMINIS, D. ANT:

Fabritio Præpoſito. D. Fran. Mayero Decano. D. Hierony. VVeiſs Scholaſtico, cæteriſq; collegiatę Eccleſię Diui Caſtuli apud Mosburgum Canonicis, Patronis, atq; Collegis ſuis perpetua obſeruantia colendis S.

MInimè profanè, Reuerende, ac Magnifice Domine Præpoſite, cæteriq; uenerandi ac præſtantiſſimi Domini, à quodam profano dictum eſt: Modis omnibus à corpore morbum, ab animo pellendam eſſe inſcitiam. Intelligebat enim uir ille, qualiſcunq; demum fuerit. (nam ſapientem fuiſſe conſtat) ut morbi corporibus, ita inſcitiam certam peſtem adferre animis. Ex hac .n. ueluti ex perpetua quadam ſcaturigine, uniuerſum hoc malorum agmen, quo hodie concutitur & tantum nõ euertitur orbis, & afflictatur Eccleſia pridẽ exortum, ſubinde gliſcit ac ſerpit magis. Hinc omnis uitæ neglectus, uirtutumq; omnium contemptus: Hinc, ut uerbo abſoluam, uitiorum omniũ tyrannis originem traxit, & trahit quotidiè. Ne igitur ferijs iſtis æſtiuis, quibus de more à grauioribus ſtudijs publicè uacatur, uel in partem id nobis incommodi accideret: has de noſtra ſatisfactione Theſes, publicè defendendas ſuſcepi: minus alioqui eam ad rem inſtructus: Nec enim neſcius ſum quàm exiguos in rebus Theologicis progreſſus adhuc fecerim, tametſi hactenus otioſus hic non degerim. Cæterum cum mecum ipſe pertractarem, cuinam patrono, hoc quodcunq; laboris, uel induſtriæ eſt, quod hic ſumpturus ſum, commendarem uel nuncuparem, commodum ueſtræ R.P. in mentem uenêre. Nam cum plæriq; omnes, non ſolùm egregijs literarum ornamentis ſitis perpoliti, uerum etiam ſingulares ſtudioſorum hominum, & mei inprimis patroni, non potui profectò uos præterire, aut harum aſſertionum patronos non maximè idoneos iudicare. Precor aũt (nam in laudes ueſtras digredi, chartæ anguſtia non patitur) ut hanc qualẽcunq; meæ erga uos obſeruantiæ teſtificationem, pro ueſtra in ueſtri ordinis homines beneuolentia, æqui boniq; conſulatis. Quòd ſi intellexero, modis omnibus enitar, ut meum hoc officium, non fruſtra boni conſuluiſſe, atq; adeo in me beneuoli, ac munifici extitiſſe uideamini. Fœliciſſimè ualeant V.R.D. Ingolſtadij Calendis Auguſti 1571.

R. R. D. V.

Studioſiſſimus.

Ioannes Hatzlerus.

DE SATISFACTIONIS VI, ET ratione ſecundum ſe:

Pars Prima.

THESIS I.

ETſi ſatisfactionis vocabulum latè admodum pateat, nos tamē pro ea tantùm compenſatione hîc vſurpamus, & deinceps vſurpabimus, qua Deo, pro admiſſa in ſe offenſa fit ſatis.

II.

Hoc ſatisfactionis genus tripartito diuidunt: nempe in cumulatum, Iuſtum, & imperfectum.

III.

Vt cumulatè facias ſatis, & proprium, & ex te integrè, & in ſolidum natum, & nullo prętерea alio titulo debitum exoluas oportet. Vt autem iuſtè, ſat eſt, ſi id creditori numeres, quod contracti debiti ponderi non cedat, vndecunq; tandem ſolutionis precium obueniat: Vt verò imperfectè, alio opus non eſt, quàm vt abs te læſus id ſponte, & liberaliter in illatæ iniuriæ compenſationem admittat, quod præſtas, quantumcunq; exiguum, & penè nullum illud exiſtat.

IIII.

Horum trium generum, primnm ſolius Chriſti eſt proprium: hic enim vnus omnium proprium ſimpliciter, nulloq; alio nomine, aut titulo debitum in conflati debiti ſolutionem conferre poterat, & re ipſa contulit. Proximum peculiare eſt cœleſtis gratiæ rore perfuſis; Poſtremum commune eſt iuſtis cum iniuſtis.

V.

Vltimo hoc ſatisfactionis genere, ſi aliud decretum non eſſet, purè homo pro omnibus mortalium omnium peccatis ſatisfacere poterat. Secundo ſingulari Chriſti gratia munitus, pro proprijs poterat & poſſet, pro alienis nec poterat, nec poſſet. At verò primo, hoc eſt cumulato illo, neq; pro proprijs, neq; pro alienis poterat, nec vlla omnino potentia poſſet, vt qui nihil omnino, quod aliunde non accipiat, & remotè ſaltem non debeat dependere valeat.

VI.

Quę hactenus de ſatisfactiōe deſſeruimus, ea de integra peccati ratiōe accipienda ſunt: Nam pro pœnis, quæ abſterſa ſceleris macula, interdū reliquæ fiunt, ſi iniuſtus & ignauius non fueris, ad exactam iuſtitiæ

amuſsim facere queas ſatis. De hac autem à pœnis temporaneis abſolutoria, & quaſi externa ſatisfactione differendum eſt hoc loco, non de altera illa interna & reconciliatoria. Nam etſi Sectarij pœnitentiæ partes ad vnum omnes impugnent acriter, hac vna tamen acrius omnino nullam.

DE VERO AC PROPRIO ABſolutoriæ ſatisfactionis obiecto.

Pars Secunda.

THESIS I.

ABſolutoriæ Sacramentariæue ſatisfactionis obiectum, non eſt peccatum per Chriſti gratiam nondum expiatum, neq; æternæ pœnæ debitum hinc exortum: Deo namq; ſalubriter facturus ſatis ab vtroq; vinculo abſolutus ſit oportet.

II.

Sed neq; peccati fomes, aut vlla innata ad malum cupiditas, aut congenita ad bonum ſegnities, nec aliquid deniq; aliud eorum omnium, quæ ſuſcepto Baptiſmi Sacramento, cum in paruulis, tum etiam in adultis reliqua fieri cernuntur, ſunt propria partis huius materies.

III.

Et quod nam ergo? non aliud ſanè, quàm reatus ille pœnæ, quam remiſsius, quàm par eſt, pœnitentes, poſt culpam gratis condonatam, vel per vltroneam operum compenſationem in hac mortali vita, vel certè per condignam ſatispaſsionem in altera, exoluere ſolent.

IIII.

Appellatur & ipſa quoq; pœna nonnunquam ſatisfactionis materia: Nam & pro pœna ſatisfacere, & à pœna rurſum abſolui dicimur: ſed hoc impropriè: ſiquidem moleſtiæ illæ, quas pro admiſsis flagitijs facientes ſatis exhauriunt, non tam ſatisfactionis materies, quàm ipſamet ſatisfactio per eſſentiam cenſendæ ſunt.

V.

At ſit ne hic pœnæ reatus, ſecluſa æternitate, idem omnino cum pœnæ tartareæ debitione, an omnino alius, id, quia certò nondum definitum extat, à diuerſis diuersè exponitur. Sunt enim, qui hanc: ſunt rurſum, qui illam amplexentur partem: Sed nec deſunt quoq;, qui contritionis vi hanc in illam transferri arbitrentur. Nobis eorum opinio non improbatur, qui non aliam & aliam, ſed eandem omnino ſcelerato &

à ſce-

à ſcelere abſoluto decernunt,quamuis diuturnitate imparem.

VI.

Etenim vt perpetuò,& ad certum annorum ſpatium ad metalla, vel triremes damnatum eſſe,pœnæ naturam non mutat,ſed eiuſdem tantũ quantitatem: ita, vt iſtis placet, non alia apud inferos expendunt ſupplicia damnati,alia à damnationis ſententia abſoluti,necdum tamen ad plenum perpurgati.

VII.

At non magni admodum refert, hoc ne an illud tueâre, dummodo tamen de re ipſa,quod pium & orthodoxum loqui,ac ſentire par eſt,loquâre & ſentias.

VIII.

Cæterum quod pœnarum poſt noxam, propter Chriſtum,condonatam ſit reliquum, illud partim per incluſam contritioni moleſtiã è medio tollitur, partim per Sacramentalem exomologeſin,& abſolutionẽ inducitur,partim deniq; per ſatisfactoriarum actionum,vel paſsionum vſum,& exercitationem abſumitur: ſiue eas actiones vel paſsiones, cũ Apoſtolo membrorum mortificationem appelles: ſiue cum Baptiſta Domini fructus pœnitentiæ:ſiue alio quocunq; modo,aut nomine.

IX.

Et quidem de abſolutionis & confeſsionis,in exhauriendis pœnarũ reliquijs,vi & energia nihil hoc loco adferendum duximus: eſt enim res hæc per ſe manifeſta, & alibi ex inſtituto explicanda. Ad contritionis porrò robur quod ſpectat, certum eſt eô plus pœnarum iſthoc exhauriri,quo ipſa doloris vis ſecundum ſe intentior extiterit:eô rurſum minus,quo eadem illa doloris vis remiſsior fuerit: Certum eſt nihilo ſecius tam incenſam eſſe poſſe, vt totam ſimul noxam & pœnam abſumat.

X.

An autem dari queat contritio; quæ & re ipſa contritio ſit, & ita tamen remiſſa, vt nihil omnino pœnę amoliatur, id diſputant hic prolixè nonnulli. Nobis citra diſputationem in eorum ſententiam abire placet,qui nullam omninò contritionem extare perſuaſum habent,qui & per ſe,& vi propria;& rurſum per accidens,& vi quodammodo aliena,quatenus nimirum Eccleſiæ clauibus voto virtute ve coniungitur, non aliquam ſaltem pœnarum partem è medio tollat.

XI.

Fatendum eſt tamen, ea contritione minus pœnarum aboleri, quæ tantum voto abſolutionis Sacramento couſociatur, quàm ea, quæ re & voto ſimul: quemadmodum etiam Baptiſmus re ipſa ſuſceptus efficatius operatur,quàm qui animi voto tantum expetitur.

XII.

Contritio itaq; vt charitate inflammata exiſtit, inimicitiam & damni pœnam abſumit: pœnam aũt ſenſilem, niſi ſit ardentiſsima, non omnem abſumit ſemper, ſed ſolam æternitatem ex ea tantum plærunq; expungit. Vt autem in vitæ huius curriculo abſq; intrinſeca moleſtia, ac difficultate non conſiſtit, ex illo pœnarum reſiduo, aliam rurſus eiuſdem pœnæ partem abſumit. Vt deniq; eadem illa contritio abſolutorij Sacramenti votum implexum gerit, aliam denuo eiuſdem illius reſiduę pœnæ partem inducit. Poteſtq; hoc votum tam ardens, ac incenſum interdum exiſtere, vt ante acceptam à Sacerdote abſolutionem omnem omnino noxam & pœnam perimat.

XIII.

Verùm quia non ita frequenter, hac præſertim ætate, id vſu venire aſſolet, fit, vt poſt acceptum abſolutionis beneficium, ſacramentaliter abſolutos, ſatisfactorijs officijs incumbere adhuc oporteat.

XIIII.

Quod autem contritio non omnem ſemper pœnam vnà cum culpa deleat, atq; ideo vberem ſæpenumero ſatisfaciendi materiam pœnitentibus reliquam faciat, id ex Scripturis, & ſanctorum Patrum monumẽtis adeo manifeſtum eſt, vt vix vllum fidei dogma, aut probatum extet clarius, aut firmamentis nixum validioribus.

XV.

Etenim omnia illa Scripturarum, Patrum, Synodôrum, ac Pontificum decreta ac teſtimonia: omnia itẽ cum externa, tum etiam interna humanæ rationis præſidia & argumenta, quibus Purgatorium, Sanctorum ſuffragia, Veniæ pontificiæ, & alia his cognata probantur & conſtituuntur, eiſdem etiam, contritionis vi non omnem ſemper pœnam aboleri, atq; adeo poſt contritionem iuſtam ſæpe ſatisfaciendi, vel ſatiſpatiendi materiam reliquã fieri, euidenter probatur: at quibus hæc probantur, & conſtituuntur, ea, vt mediocriter in ſacris verſati norunt, prę ter plurima loci huius propria, ſunt penè innumera.

XVI.

Quod ſi Scripturæ & Patres, altum hîc ſileant, ipſæ tamen cruces, miſeriæ, clades, ægritudines, interitus, cæteræq; vitæ huius calamitates tantum non ſublata voce hoc ipſum clamant. Nec enim aliunde hæc nobis adeſſe exiſtimandum eſt, quam ex originis peccato, quamtumlibet, quâ peccatum erat, in regenerationis lauacro iam olim omnino ſubmerſo atq; extincto.

XVII.

Iam ſi peccatum aliena voluntate contractum tot vulnera animo & corpori,

corpori, ſingulisq; eorundem partibus, & facultatibus infligit, totque, ac tam fœdas cicatrices, peſtes, & calamitates poſt ſe relinquit: ſiue hæc, & his ſimilia peccati illius pœnas, ſiue pœnalitates ad certamen relictas, ſiue alio quocunq; nomine appelles, quid nos de tam varijs ac nefarijs flagitijs proprijs cogitare par eſt?

XVIII.

Clamat idem etiam ratio ipſa: Nam ſi fides, vel nouæ vitæ propoſitum, omnem ſimul culpam & pœnam, vt neotheologiſti eblaterant extinguit, nullum inter Baptiſmum, & abſolutionis Sacramentum: inter peccata ante, & poſt Baptiſmum admiſſa: inter eum, qui mille atrocia facinora, & eum, qui vnum tantum deſignaſſet diſcrimen reliquum ſiet: quibus cōſectarijs, quid dici poteſt abſurdius, aut à veritate alienius?

XIX.

Clamat deniq;, ſummoq; id iure poſtulat diuinæ iuſtitiæ & ſapientiæ ratio. Nec enim ita eos in gratiam recipere conueniebat, qui ſemel à peccatis & Dæmonis ſeruitute liberati, ſcientes volenteſq; Dei templū denuò violare, atq; adeo Spiritum ſanctum contriſtare non formidarant, atq; illos, qui ante Baptiſmum ſuſceptum, ante diſcuſſas mentis tenebras, ante datam Chriſto fidem, per ignorationem officium neglectui habuerant, vel minus diligenter, quàm par erat, obiuerant.

DE OPERVM RATIONE, ET qualitate, quibus poſt ſcelus expiatum, Deo fit ſatis.

Pars Tertia.

THESIS I.

INter cætera, duo præcipuè ad ſatisfactionem ſunt neceſſaria: alterum eſt, vt is qui ſatisfacit ſit iuſtus: alterum, vt in patratorum ſcelerum compenſationem aliquid eiuſmodi adferat, quod intrinſecè nonnullam moleſtiam atq; laborem incluſum habeat.

II.

At non eſt id ita accipiendum, quaſi eum, qui in ſatisfactorijs actionibus ſeſe exercet, certo doloris ſenſu affici oporteat: hoc enim, vt fiat, abſolutè non eſt neceſſarium; ſæpe namq; vel patiendi vſus, vel accenſa in Deum charitas efficit, vt quæ ex ſe permoleſta alioqui exiſtunt, ne ſentiantur quidem: ſed quod in eiuſmodi rebus & munijs occupare ſeſe debeat, quę plurimum citra moleſtiam, laborem, ac difficultatem adminiſtrari non ſolent.

III. Hoc

III.

Hoc autem operum genus, quantumuis ex ſe latiſsimè pateat, pro bonorum tamē ſumma, quæ poſsidemus, & hoſtium multitudine, quorum inſultibus patemus, & perſonarum numero, in quas præuaricamur, ad orationem, ieiunium, & eleemoſynam, vel uti ad tria quædam ſumma rerum capita reduci poteſt.

IIII.

Oratione, Deo litamus ex opibus animæ: Eleemoſyna, ex bonis fortunæ: Ieiunio, ex corporis commodis. Ieiunio rurſum pugnamus contra illecebras, & allectamenta carnis: Eleemoſyna contra φιλαργυρίαν, inexplebilemq; habendi ſitim: Oratione contra vitæ ſuperbiam. Oratione demum certa quadam proportione vindicamus cōmiſſa in Deum: Eleemoſyna expiamus perpetrata in proximum: Ieinnio & abſtinentia, in noſmetipſos deſignata compenſamus.

V.

Quod ſi ad tria hæc capita cætera omnia, quibus meremur, vel ſatisfacimus referre lubeat: quodcunq; religioni, ac interiori animi cultui propriè, & proximè ſubſeruit, id ad orationem reducito: ad Eleemoſynam verò, quicquid piorum officiorum proximo impendi conſueuit: ad ieiunium autem, omne id, quod veteris Adami debellandi & extinguendi vi pollet.

VI.

Sed & arbitrariæ, & communes, & cœlitus immiſſæ clades, ſi leni patientiq; animo feras, & proprias ex communibus efficias, non exiguas purgandi, & ſatisfaciendi vires habent, quamuis non omnino pares: Cæteris namq; exæquatis, maiori robore pollent, quæ vi quadam occulta, & diuina inferuntur, quàm communes, vel etiam liberæ: æmulantur hæ enim, tametſi non plenè aſſequantur, ſacramentarias, & purgatorias ſatisfactiones.

VII.

Arbitrarias vocamus, quæ ex cauſa libera proficiſcuntur, vt cum Iudex vel Prætor ſecundum iuſticiæ ordinem furi, vel alteri nequam, necem, vel aliam ciuilem pœnam infligit.

VIII.

Communes verò dicimus, quæ ex communibus & naturalibus cauſis ortæ, non in hunc vel illum præcisè deſæuiunt, ſed in omnes quoquo verſum ſeſe extendunt promiſcue: cuiuſmodi ſunt aëris intemperies, inuſitata maris tempeſtas, diuturna pluuia vel ſiccitas, hominum vel pecudum lues &c.

IX.

Cælitus

Cœlitus illatas appellamus, quæ præter communem naturæ ordinem, non omnibus, ſed certis, in vnius vel plurium ſcelerum vindictam proximè, vel mediatè à Deo inferuntur: quo cladium genere, præter eos, qui in Cataclyſmo & Pentapoleos euerſione extincti ſunt, innumera penè millia in veteri Teſtamento perijſſe leguntur.

X.

Credendum eſt tamen non omnes, qui diuinitùs cæduntur, ideo ſemper cædi, vt ſatisfaciant. Quidam enim à Deo flagellantur, ne per ſuperbiam elati interioris ſanitatis iacturam faciant: Alij, vt patientiæ exemplo cæteris prælucentes, auctius vitæ meritum ſibi comparent: Nonnulli, vt diuinæ gloriæ declarandæ & illuſtrandæ materiā ſubmiſtrent: Pauci vt iræ diuinæ calicem, quem in omne æuum hauſturi ſunt, in vitæ huius ſtadio adhuc conſtituti, deguſtare incipiant: quo modo Antiochum, & ante ipſum Pharaonem, & poſt vtrunq; Herodem flagellatos legimus.

XI.

Diſceptari hic ſolet, poſsit ne pœna poſt noxam ex animo profligatam reliqua, per opus alio alioqui titulo debitum redimi, exempli cauſa ieiunium, vel oratio à Confeſſario indictum, vel indicta, per Ieiunium vel Orationem Eccleſiaſticum vel Eccleſiaſticam, hoc eſt Eccleſiæ lege vel præcepto debitum vel debitam.

XII.

Verùm ſi debitionis ratio meriti vim non infringit, vt reuera non infringit, nullam videmus cauſam, cur ſatisfactionis energiam infringere concedi debeat. Conſtat enim multo præſtantius eſſe emereri gratiam vel gloriam, quàm exoluere momentaneam pœnam.

XIII.

Imò verò perabſurdè affirmari videtur, opus citra obligationem patratum vtrunq; eſſe, & meritorium, & ſatisfactorium, ex præcepto autem, voto, vel iuramento expletum, aut neutrum eſſe, aut alterum tantum, nempe meritorium: Nam etſi duo hæc à ſeinuicem ſeiungi queant, & interdum ſeiungantur, in hoc tamen vitæ genere, omne opus meritorium ſimul etiam eſt ſatisfactiorim, & vice verſa, vt quibuſdam placet.

XIIII.

Præterea ſi præceptum, votum, vel iuramentum omnem prorſus vim operi ſatisfactorio adimeret, conſequens fieret Martyrium vrgente neceſsitate ſuſceptum, eleemoſynam in extremè egentem collatam, opus item voti, vel cuiuſcunq; præcepti non eſſe ſatisfactoria, ſed tantum meritoria: Sed quis hoc ratione vtens concedat?

XV.

Verum eſto ita res habeat, tamen quòd legitimam ſatisfactionem ſolo ſupererogationis opere conſtare vulgo credatur: tum etiã, quò effrenata ſceleratorũ audacia pœnæ formidine à ſcelere facilius arceaſ, nõ temere alia pœnitentibus opera à Confeſſarijs imponi ſolent, quàm aliâs indebita.

XVI.

Et vt alia plerunq;, quàm indebita indici non aſſolent, tametſi debita quoq; indici queant, & vtiliter nonnunquam indicantur (vt cum ſpes eſt non leuis, quod diuina vel humana lege facere quiſpiam tenebatur; neq; tamen faciebat, id eum, ſi Sacerdotis autoritate, quaſi nouo quodam vinculo adſtringatur, in poſterum facturum eſſe ſedulo) ita externa pietatis officia, vt ſunt preces, eleemoſynæ, peregrinationes, & alia his conſimilia, in ſcelerum admiſſorum compenſationem vſitatius imponuntur, quàm interna: cum tamen rerum cœleſtium meditatio, interioris hominis mortificatio, alijq; id genus interni cultus ſalubriter iniungi poſsint.

XVII.

Quod ſi eorum opinionem abſolutè tueri lubet, qui opere tantum indebito legitimas ſatisfactiones conſtare volunt, de eo ſatisfactionis genere id illos contendere ſtatuas, quod ad abſolutam rei debitæ æqualitatem exigitur, non de eo, quod ad iuſticiæ mixtæ rationem præſtatur: cuiuſmodi eſt illud, quod nos offenſo numini de more exhibemus. Licuerat quidem ipſi indebita tantum expoſcere, ſed quæ ſua eſt miſericordia & benignitas, noluit ſummo iure nobiſcum agere.

DE MVTVA OPERVM COMmunicatione, eorumq; diſcrimine & qualitate, qui ſatisfactionis lege tenentur: tum de eorum quoq; operum vi & energia, quæ aliundè, quàm ex diuino ſpiritu nata, in ſatisfactionem vel ſatisfactionis partem interdum adferuntur.

Pars Quarta.

THESIS I.

EOrum, qui ſatisfactionis vinculo ſtringuntur, duo ſunt genera: alterum eorum, qui debitum, ex quo eiuſmodi vinculum natum eſt per ſe contraxerunt: alterum eorum, qui ab alio contractum vltro, veluti proprium, in ſe receperunt: Nam inter alia, quæ ſingulari Dei Opt: Max: clementia humanæ imbecillitati conceſſa ſunt, hoc quoq; conceſſum eſt, vt vnus pro altero facere poſsit ſatis; atq; hoc vnum huic parti eſt proprium.

II. Etenim

II.

Etenim vt pro altero quis conteratur, aut ſacramentaliter confiteaſ, aut mereatur, ſi de merito vero ac proprio, vt oportet, loquamur, id cõmuni lege fieri non poteſt: ſunt enim hæc, & cætera his conſimilia onera perſonalia: vt autẽ alter pro altero pœnas luat, aut ſatisfaciat, id cùm in politicis & ſæcularibus, tum etiam in Eccleſiaſticis & ſpiritalibus adeo receptum eſt, vt vix aliud quicquam receptius.

III.

Vnde minimè audiendi ſunt noui illi veterum errorum Magiſtri, qui in ciuilibus & externis, nõ etiam in ſpiritalibus & internis, eam bonorum operum κοινωνίαν admittunt: Certum eſt enim temporalia cum temporalibus, & ſpiritalia cum ſpiritalibus: & temporalia rurſum cum ſpiritalibus, & ſpiritalia cum temporalibus, ciuili pactione & obligatione ſecluſa, licitè permutari. Si (inquit Apoſtolus) nos vobis ſpiritalia ſeminamus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Idem: Probauerunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalem: Placuit enim illis, & debitores eorum ſunt. Nam ſi ſpiritalium eorum particeps factæ ſunt gentes, debent & in carnalibus miniſtrare eis.

IIII.

Quod ſi Apoſtolus, & perpetuus Eccleſiarum omnium vſus hic penitus obmuteſcat, ratio tamen, & ingens diuinarum miſerationum abyſſus ſuo quodammodo iure hoc ipſum poſtulant. Indubitatum eſt enim miſericordiarum patrem non minus propenſum eſſe, ſi res ita ferat, ad ſanandum & condonandum, quàm ad feriendum & condemnandum.

V.

In confeſſo eſt nihilo ſecius eundem illum non propter propria tantum, verùmetiam propter aliena flagitia multos ſæpè multis calamitatibus inuoluiſſe, alioſq; atq; alios eadem de cauſa quotidie inuoluere. Ecquis enim fando exprimere valeat, quot hominum millia propter nefanda aliorum ſcelera extincta, afflictaq; ſint hactenus ſæpè, & affligantur extinguanturq; ſubinde?

VII.

Iam ſi præpotens Deus propter vnius aut alterius noxam, vitæ fortunarumq; omnium euerſionem, atq; adeo extrema omnia, quoad id inſontibus, intentat frequenter, quid mirum ſi momentaneum cruciatum iuſto, vel etiam impio & iniuſto, ob vltroneam alterius ſatiſfactionem: imo vero ob ſolam alterius interceſsionem interdum remittat?

VII.

Certè ob inſignem Abrahami pietatem, pepercit Abimelech: ob illuſtrem Dauidis religionem & ſanctimoniam Salomoni, multisq; alijs regibus, & principibus longa ſeriè ab ipſo propagatis: propter fidem & charitatẽ D. Pauli ducentis naufragis animabus: propter Moyſis interceſsionem vniuerſo Iſraëli. Sed & propter decem iuſtos, ſi tot forte iſtic comperti fuiſſent, quinq; opulentis ciuitatibus vitam & impunitatem promittere non dubitat.

VIII.

Cùm igitur ſponte pro altero pœnas pendere non minorem arguat charitatis ardorem, imo verò maiorem, quàm preces pro eodem fundere, cur clementiſsimus Deus vni cuipiam iuſto pœnarum debitum non condonet, ſi alius pius ac probus vltro illud in ſe ſuſcipiat, ſuſceptumq; bona fide exoluat, qui ad ſolam alterius interceſsionem illud condonare ſoleat? Cur (inquam) pius ille pater exiguarum moleſtiarum reatum ob ſpontaneam alterius perpeſsionem non remittat iuſto, ipſiq; per pœnitentiam iam reconciliato, qui primam gratiam ad alterius preces nonnunquam impartitur impio? Multo nanq; maius eſt, vel ex congruo alteri primam gratiam, vel bonum cordis motum promereri, quàm pro altero ſatisfacere.

IX.

At verò licet Catholica fides palam doceat, ritusq; Eccleſiæ, ac gentium omnium praxis validè confirmet, alterum pro altero intercedere, pati, ac ſatisfacere poſſe, plurimum tamen intereſt, pro te ne ipſe ſatisfacias, an alius pro te.

X.

Enimuero qui admiſſa in Deum crimina dignis pœnitentiæ fructibus per ſe ipſos redimunt, hi non ſolùm pro contractis debitis Deo ſatisfaciunt, certumq; ad maius gloriæ pondus iter ſibi muniunt, verùm etiam inteſtinorum morborum radices euellunt, vulnerumq; cicatrices, quæ ex peccatis plærunq; reliquæ fiunt, paulatim obducunt, & alia præterea non vulgaris momenti operæprecia faciunt.

XI.

Quod ſi horum omnino nihil priuatæ ſatisfactiones præſtarent, adhuc tamen Deo Opt: Max: eô acceptiores ſunt emendicatitijs illis ſatisfactionibus, quô illis ipſis magis ſunt propriæ, ac voluntariæ.

XII.

Accedit huc plæraq; ſatisfactionis officia, tametſi non omnia, veluti antidota quædam contra contractas animi ægritudines, à Confeſſarijs indici, quæ autem eiuſmodi ſunt, ea per alios expleri non poſſunt:

Con-

Continet enim taliſmodi pœnitentiæ onus perſonale, quod perſonam, quam proximè concernit, niſi neceſsitas aliud poſtulet, non temerè egreditur.

XIII.

Deniq; qui onera ſatisfactoria ſibi impoſita, in aliorum humeros libenter reijciunt, hi ſpe ſua interdum fruſtrari nequaquam non poſſunt. Aut igitur per temetipſum ſatisfacias, aut cui vices tuas committas, iterum atq; iterum expendas.

XIIII.

Poteſt aũt tam is, qui ſuijpſius, quàm ille quoq;, qui alterius cauſa ſatisfacit: vno eodemq; ſatisfactionis genere, pro diuerſis, & inter ſe diſtinctis criminibus ſatisfacere: quemadmodum etiam vna eademq; numero contritione, peccata maximè inter ſe diſsita abolere.

XV.

Hoc tamen de ſatisfactione, vt præcisè ſatisfactio eſt aſſertum intelligatur: Nam ſi ſatisfactionem ſpectes, non vt præcisè ſatisfactio eſt, ſed vt morborum animi medicina eſt, profectò non temerè ſanabit oculũ, quod ſanat calcaneum: Alijs enim armis certandum eſt contra auaritiã, alijs contra luxuriam, alijs contra ſuperbiam, alijs deniq; contra alias animi peſtes.

XVI.

At verò licet vno vniuſde rationis opere pro pluribus, & inter ſe diſtinctis noxijs compenſatio fieri queat, & ſæpè fiat, non eſt tamen id neceſſarium: ſiquidem integra peccatorum remiſsione impetrata, ſeorſum pro vno ſatisfacere licebit, & non ſimul pro altero: exempli cauſa, pro homicidio, & non pro adulterio, & viceuerſa, nec ratio huius obſcura exiſtit.

XVI.

Quandoquidem peccata non eam inter ſe connexionem habent in pœna tranſitoria, quam habent in æterna, vel etiã in macula: hæc enim citra gratiam, quæ nullum omnino crimen, aut æternæ mortis debitum in animæ regno hærere ſinit, aboleri non poſſunt: illa verò, vt publicè pœnitentiæ euidenter oſtendunt, & diuiſim, &, vt non improbabilis quorundam ſententia eſt, extra creditoris amicitiam exolui, aboleriq; poteſt.

XVIII.

Sanè in humanis res eſt manifeſta: in diuinis autem non parum eſt controuerſa. Sunt enim, qui verbis Apoſtoli moti, omnẽ omnino vim & meritum inimicorum operibus abrogent. Si (inquit ille) diſtribuero in cibos pauperũ, omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita

 vt ar-

vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Alij cōtra temporalis pœnæ reatum, & intra, & extra Dei gratiam integrè diſſolui poſſe contendunt: Quidam non hoc tantùm, ſed quædam etiam ſpiritalia emolumenta per eiuſmodi emortua opera impetrari poſſe, & reipſa nonnunquam impetrari aſſerunt.

XIX.

Arduum profectò, nec forte tutum ſatis eſt, de re adeo dubia & incerta, certam hîc proferre ſententiam: Medio tamen inter extrema, quātum res patitur, ſeruato, dici poteſt eiſmodi opera intermortua, hoc eſt, extra charitatem facta, per ſe quidem & vi propria apud Deum ſatisfactoria non eſſe: ſiquidem ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ, ſi non omnino purę, ſaltem mixtę: atq; ideo ea præſtita, creditor debitorem miſſum faciat oportet: Deus autē nulla lege, nulla pactione, aut promiſsione iſtiuſcemodi opera in ſatisfactionem admittere obſtringitur. Admittit tamen non infrequenter, nō quia debet, ſed quia his, qui in operibus moraliter bonis impigrè ſeſe exercent, difficilem ſe exhibere non ſolet.

XX.

Prima itaq; opinio hactenus admitti poteſt, quatenus iſtiuſmodi opera ex rei, vel legis iuſtitia apud Deum ſatisfactoria eſſe negat: at verò vt omnem ipſis vim, omnemq́; fauorem & gratiam abrogat, probari nobis nequaquam poteſt: Valent enim eiuſcemodi officia, ſi non ad cōparandam cœleſtem beatitudinem, certè ad obtinenda fluxa ac caduca ſæculi huius bona: tum etiam ad expellenda flagella, peccatorum ceruicibus diuinitus impendentia.

XXI.

Diſponunt præterea, tametſi remotè, ad gratiam & conuerſionem: & ſi præcepta fuerint, omiſsionis peccatū impediunt: & per cōſequens, vt peccator, ſi nunquam forte reſipiſcat, mitius apud inferos puniatur, efficiunt. Sed & prauis habitibus expulſis exulcerato pectori ſtudioſos paulatim inſerunt: Sanctorum hominum interceſsionem excitant: fidam angelorum cuſtodiam conſtantius retinent: aliaq́; id genus commoda autoribus ſuis accumulant.

XXII.

Vnde etiam in omnium oculis eſt, peccatores in officijs Chriſtiano homine dignis plurimum ſe occupantes, tandem fœliciter ad Deum cōuerti. Contra verò ſcelera ſceleribus, citra vllum timorem aut religionē agglomerantes, miſerabiliter plærunq; in ſuis iniquitatibus extinguū

XXIII.

Cæterùm

Cæterùm an opera illa intermortua hoc ipſum, quod valent & præſtant, quodcunq; demum illud fuerit, ex condigno valeant & præſtent, an tantùm ex congruo, id multis nos hîc perſequi non attinet: Sat ſit eiuſmodi opera ex ſe, & vi propria apud Deum meritoria non eſſe: tùm nulla certa mercedis ſponſione, aut legalis iuſtitiæ æquitate niti: ita vt vniuerſorum Dominus propter legem ab ſe latam, aut ſponſionem ab ſe factam, ea remunerare obligetur. Taliſmodi enim lex, aut ſpõſio nuſquam ſcripta comperitur.

XXIIII.

Si quid ergo egregium promerentur aut poſſunt, id congrui tantùm merito promerentur & poſſunt, non etiam condigni. Imò ne congrui quidem ſimpliciter & abſolutè: ſiquidem congruum illud non ex precio, aut rei natura ſpectandum venit: eſt enim illud, vel nullum, vel per quam exiguum: ſed tantùm ex miſericordia & benignitate præpotentis Dei. Decet namq; infinitam ipſius clementiam & bonitatem, vt aliquam ſaltem iſtiuſcemodi operum rationem habeat, etiamſi ex ſpiritali fonte non emanent.

XXV.

Non abſimilis quæſtio eſt, reſtituta iam per pœnitentiam charitate; eiuſmodi ne operibus vitæ ſenſus diuinitus inſpiretur, ita, vt quæ ante ſecundum ſe, nec meritoria erant, nec ſatisfactoria, vtrunq; iam tum eſſe incipiant: Sanè quicquid ſit de ſacramentali ſatisfactione: illi enim nonnihil roboris ex Eccleſiæ clauibus accedere perhibetur; de reliquis nihil eſt, quod hîc ſibi peccator polliceatur.

XXVI.

Vnde qui mortifero crimine obſtricti, ieiunant, vel orant, vel peregrinantur, vel alia eiuſmodi externa pietatis officia exercent: eſto poſt inſtauratam Chriſti amicitiam, quod in peccato ediderant opus, ratum gratumq; habeant, non ideo tamen, quam meriti, aut ſatisfactorij fructus paſsi erant iacturam, ſtatim recuperant.

XXVII.

Eſt quidẽ ſera illa operis in ſcelere quõdam patrati ratihabitio Deo grata, æternæq; vitæ meritoria, at non ea tamen vi pollet, vt opus demortuum, & iampridem dilapſum ſpiritali vita informet: Secus foret, ſi opus inabſolutum in ſuo adhuc ſtadio decurreret. Quod enim fit, dũ fit, in Deum referri poteſt: quod autem iam effluxit, & dum flueret in Deum relatum non eſt, id amplius in eum referri non poteſt, cum ad præteritum nulla extet potentia,

XXVIII.

Sunt

Suut,qui emortua illa ſatisfactionis opera, in ea,quæ effectum, quaſi quoddam veſtigium ex ſe reliquum faciunt, & in ea rurſum, quæ nihil eiuſmodi ex ſe reliquunt ſecernentes, hæc quidem per gratiam conualeſcete negant,illa verò per pœnitentiam vita donari affirmant.

XXIX.

Sed ſanè non video cur non idem de vtriſq; pronunciari debeat: Nā cùm opera illa,quæ vel corporum, vel facultatum imminutionem, vel aliud quippiam eiuſmodi portendunt, in effectu ſuo non ſint meritoria,nulla planè apparet ratio,cur cenſeri queant ſatisfactoria.

XXX.

Quod ſi id inficiantur,exponunt ipſi ecquid nam hic, vel meritoria, vel ſatisfactoria vi pollere inceptet? Non opus ipſum, quia illud amplius non extat: nec rurſus operum effectus, nam hic non eſt liber, ſed neceſſarius: vt qui cauſæ ſuæ poſitionem neceſſariò & naturaliter conſequatur: vt autem quippiam ſit meritorium, vel ſatisfactorium voluntarium ſit oportet.

XXXI.

Adde eiuſmodi effectum,neq; ex charitate, nec ex opere ex charitate nato procedere,ſed ex opere modis omnibus inanimi et emortuo: quod autem eius generis exiſtit, id communi lege in meritum, aut ſolutum non cedit.

XXXII.

Dicent fortaſsis eam ſatisfaciendi vim non prouenire ex opere, aut operis effectu,ſed ex nouo voluntatis ſtudio, nouaq; eiuſdem voluntatis εὐδοκία,& approbatione: Verùm hoc poſito in idem omnino redibit, effectum ne aliquem poſt ſe relinquat opus, aut nullum penitus: cùm noui huius ſtudij, nouæq; approbationis & εὐδοκίας obiectū, tam opus ipſum,quàm operis veſtigium eſſe queat.

DE EARVM SATISFACTIONUM diſcrimine,& ratione, quas proſcelerum ratione publicè, vel priuatim pœnitentibus iniungere ſolent Confeſſarij: diſputationis huius

Pars Quinta & Poſtrema.

THESIS I.

Cum

CVm alia plæraq; obſeruare oporteat Confeſſarios, vt ritè ſuo fungantur munere, tum illud maximè, ne audita peccatorum exomologeſi, prius abſoluant pœnitentem, quàm diligenter curarint, vt quod ille forte de re, aut exiſtimatione proximi male detraxit, integra reſtitutione compenſet: aut hoc ſe, vbi primum per facultates licuerit, facturum eſſe certò promittat.

II.

Ad ſatisfactionem porrò modum quod attinet, (nam alieni reſtitutio, ita viam ad ſatisfactionem munit, vt intrinſecam tamen ipſius rationem non ingrediatur) ſi eum non ex priuata cuiuſpiam opinione, proprioue iudicio, aut affectione, ſed ex rei ipſius natura, vt par eſt, ſpectare conuenit: dubium nullum eſt, non eadem mulctandos eſſe pœna, qui nefario & publico flagitio ſe polluerunt, & qui occulto & vulgari: quin potius maiorum more & inſtituto, crimina vulgata & publica, pœnitentia publica, grandia grandi, ſecreta ſecreta vindicare oportet: tametſi poſtremum hoc non ſemper apud veteres obſeruatum conſtet.

III.

Etenim ea ipſorum in plectendis vitijs ſeueritas, ea rurſum eorundem in medendis animorum vulneribus induſtria erat, vt non ſolùm manifeſta, verùmetiam occulta quædam flagitia, ſi qua fortè ex his grauiora videbantur, publica interdum animaduerſione & pœnitentia vindicarent. Hinc illud Origenianũ: Circumſpice diligenter cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum, cui debeas languoris tui cauſam exponere. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conſpectu totius Eccleſiæ exponi debeat, multa hoc deliberatione & ſatisperito medici illius conſilio procurandum erit.

IIII.

Verum qualiſcunq; tandem in ſecretis facinoribus ſatisfactionis ratio apud priſcos illos Patres ſeruata ſit, certè in manifeſtis hoc perpetuo obſeruabatur, vt qui ea commiſiſſent, non prius abſoluerentur, quàm vel publicam, vel ſolennem pœnitentiã ſubijſſent: hanc quidem, ſi publicè, & non vulgariter: illam verò, ſi in propatulo quidem, non ita tamẽ inſigniter Eccleſiam offendiſſet. Obtinebat enim triplex apud veteres Eccleſiarum Rectores ſatisfactionis genus. Vnum ſecretum, alterum publicum non tamen ſolenne: tertium ſolenne ſimul & publicum.

V.

Pœnitentia ſolennis, quod, præter perpetuum pœnitendi propoſitum, lamentabilem illam Adami ex terreſtri paradyſo eiectionem deſignaret,

ſignarent, ſemel impoſita amplius non repetebatur: publica repetebatur quidem, attamen ne deſpectui haberetur, non ita crebro: priuatas toties redintegrare mos erat, quoties regeneratum & iam ante abſolutū, in peccatum relabi contigiſſet.

VI.

Vnde ſi qua in ſanctorum Patrum monumentis occurrunt, quæ prima facie pœnitentiæ redintegrationē, inficiari videntur (cuiuſmodi inter cætera eſt illud Ambroſianum: Reperiuntur qui ſæpius agendā pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto: quia ſicut vnum eſt Baptiſma, ita & vnica eſt pœnitentia) ea non ad priuatam aut publicam, ſed ad ſolennem pœnitentiam referri oportet.

VII.

Sed & aliud quoq; inter publicam & ſolennem ſatisfactionem intercedebat: Nam cum hæc non ita frequentem vſum haberet, rariſsimè per alios, quàm per Epiſcopos & loci Ordinarios imponebantur: illa verò, quòd crebrius occurreret, per quoſuis Eccleſiarum Rectores, ſi modo legitima iuriſdictione potirentur, indici poterat, & indicebatur ſubinde.

VIII.

Hæc rurſus promiſcuè viris & fæminis, cæterisq; omnibus, cuiuſcunq; demum ordinis, vel loci extitiſſent, iniungebatur: illa, quòd præter publicam infamiæ notam, grauia quædam onera includeret, & in vniuerſum propemodum vitæ decurſum ſeſe porrigeret, neq; altaris miniſterio adſcriptis, neq; iunioribus, neq; Matrimonij iugo preſsis, citra expreſſum inſontis coniugis conſenſum, irrogabatur.

IX.

Hæc deniq; non quibuſuis aut arbitrarijs, ſed grauibus, certis, & præfinitis ritibus ac cæremonijs, ineunte quadrageſima, præfiniebatur: illa nec vno loco aut tempore, nec ijſdem cæremonijs aut legibus, ſed pro locorum diuerſitate, eorumq;, qui præerant voluntate, alijs atq; alijs imponebatur.

X.

De publicis antiquorum pœnitentijs, ſeuerisq; eorundem legibus, ex Synodo Nicæna, Elibertina, Neocæſarienſi, Aurelianenſi, pœnitentiario Romano, Bedæ, Iuonis Carnotenſis, Burcardi, Petri Martyris Alexandrini, alijsq; cum Synodis, tum Patribus, quàm plurima in rem præſentem adferri poterant, ſed poſcunt hæc locum alium, & tempus magis feriatum.

XI. Sacrum

XI.

Etenim ſacrũ illud publicarũ pœnitentiarũ ſatisfactionumue regnũ, tam latè apud veteres patebat, vt non ſolùm Chriſtiani nominis Principes, & Imperatores (vt de Philippo, Theodoſio & alijs nonnullis conſtat,) verùm etiam myſterijs noſtris nondum initiatos ſub ditione ſua teneret: Nam & catechumeni quoq;, ſi quid grauius deſignaſſent, ad certum vel incertum, hoc eſt arbitrarium tempus inter pœnitentes ablegantur.

XII.

Peractis porrò publicæ pœnitentiæ legibus, quinta ſacræ hebdomadis feria, impendebatur abſolutio: illo enim tempore fidelibus, qui aliâs impediti non erant, Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrabatur.

XIII.

Hæc autem abſolutio duabus potiſsimum partibus conſtabat, oratione videlicet et manuũ impoſitione: Nam ſiue pœnitens priuatim abſolueretur, ſiue publicè, abſq; manuum impoſitione communiter non abſoluebatur. Manuum porrò impoſitioni accedebant preces, & ſupplicationes, non quæuis illæ, ſed certa verborum forma conceptæ, & quæ à Synodo, vel Epiſcopo eſſent approbatæ.

XIIII.

Abſoluti corporis cultui, (nam hunc quoq; pœnitentes plærunq; demutabant) priſtinæq; viuendi conſuetudini, reſtituebantur ſemper: loco verò, ordini, & dignitati non ſemper.

XV.

Abſolutionis publicæ miniſtri ijdem erant, qui & condemnationis, nempe Epiſcopi, & legitimam iuriſdictionem ſortiti locorum Ordinarij. Simplex autem Sacerdos, niſi eius, qui impoſuerat iuſſu, publicè pœnitentes non reconciliabat, nec iure reconciliare poterat.

XVI.

Sed neq; cuiuis Epiſcopo, niſi forſan ægritudo, vel abſentia, vel alia legitima cauſa aliud efflagitaſſet, reconciliare fas erat, ſed illi tantum, qui per ſe, vel per alterum legitimè indixerat, vel indicere poterat.

XVII.

Qui autem eiuſmodi reos abſoluebant, ſiquidem commodè fieri id poterat, ante Baſilicę abſidem, & publicè abſoluebant. Erant autem abſides loca quædam ædita & conſpicua, ad quæ, niſi per gradus, aditus nõ patebat: Vnde etiam gradatas ab antiquis appellatas comperimus.

XVIII.

Solennes pœnitentiæ nunc magna ex parte in diſſuetudinem abiêre: publicę locum ſuũ etiamnũ tuentur, ſed admodum ægrè: priuatæ ſolo nomine obtinere videntur. Nam qualis,quæſo, cenſenda eſt ea ſatisfactio aut pœnitentia, cum in plurium,eorumq; grauim ſcelerũ compenſationem, vnus aut alter Pſalmus, vnius aut alterius diei abſtinentia, aut exigua quæpiam eleemoſyna indicitur: hoc præſertim tempore,quo ardens illud pœnitendi ſtudium ita paſsim intepuit, vt plæriq; ad peccatorum veniam impetrandam, ſat eſſe exiſtiment, ſi generatim tantum ſe peccatores eſſe exponant?

XIX.

Dicunt quidam eam hac noſtra ætate cumplurium eſſe infirmitatẽ, vt vix lenes quaſdam admonitiones æquabili animo ferant,nedum ſatisfactiones ad ſcelera ſua, vel in partem coæquatas:commenſuratáſúe.

XX.

Sanè res ita habet,nec aliud ferè experiuntur,qui frequentes exhomologeſes excipiunt: Verumtamen ſi iudici legi & rectæ rationi conſentanea mandanti, morem gerere reum oportet: clauesq; Sacerdotiũ ordini conceſſæ,non ad ſoluendum tantùm,verùm etiam ad ligandum, hoc eſt,ad certum compenſationis modum obligandum ſeſe extendũt, non video,qui legitimè abſolui queant,qui iuſto,& moderato Eccleſiaſtici iudicis mandato parere recuſant.

XXI.

Poſſent tamen eiuſmodi ab ordinarijs Sacramenti huius miniſtris abſolui, ſi quadam humana imbecillitate victi, æquabilem ſatisfactionẽ detrectarent; ſecus verò ſi errore, ſchiſmate, aut contemptione ducti id facerent.

XXII.

Pœnitentiam iuſtam ab vno iniunctam ſponteq; ac liberè admiſſam, alter,præſertim inferior,condonare non debet,nec iure etiam condonare poteſt:poteſt tamen, ſi vtilitas, aut neceſsitas poſtulat, in aliam parẽ commutare: vel,ſi grandior videatur,nonnihil mitigare. Caueat tamen eiuſmodi inferior, ne temerè contra ſuperioris auctoritatem, vel à culpa, vel ab indicta pœna abſoluat: Idem namq; periculum, eademq; temeritatis & inefficacitatis ratio vtrobiq; obtinet.

XXIII.

Impoſitum ſatisfactionis opus,ex incuria,vel obliuione nõ explens, peccat quidem,non tamẽ lethaliter,niſi obliuio,vel incuria,qua hoc acciderat,quæſitæ erant, & ipſe nihilominus pœnitens operis expletionẽ,

ſub

ſub grauioris noxiæ cominatione iniunctam, liberè in ſe receperat.

XXIIII.

Quod ſi ſatisfactorium opus, citra errorem, vel contemptum omittens lethaliter non peccat, multò minus lethali ſcelere ſe obſtringet, qui extra gratiam illud explet: nam, vt nemo neſcit, multò grauius eſt, quod factum oportuit, omnino omittere, quàm minus purè, vel perfecte illud perficere.

XXV.

Sed & aliundè quoq; oſtendi id poteſt: Nàm non maior ſanctimonia requiri videtur, vt iniunctam pœnitentiam expleas, quàm vt cætera Dei, vel Eccleſiæ præcepta obſerues: ſed hæc inculpatè, licet non meritoriè, extra gratiam expleri poſſunt, aliâs enim quicquid mortiferæ culpæ obligatus ageret aut inſtitueret, mortiferè ſemper peccaret, atque ita nunquam ad gratiam præparare ſe poſſet.

XXVI.

Quin imo ſtatuere ſatisfactionem, votiue, vel præcepti obſeruationem, citra gratiam nullo modo conſtare poſſe, eſt in re maximi momenti perniciosè errare, & ingens nihilo ſecius improbitati oſtium patefacere: Nam ſi popularibus ſemel perſuaſum ſit, ad explendam à Sacerdote iniunctam ſatisfactionem, cæterorumq; preceptorum obſeruationē abſolutè opus eſſe inhærentis gratiæ præſidio, vbi primum criminis alicuius lethiferi conſcientia cœperint laborare, ſtatim ab eiuſmodi operibus deſiſtent, rati faciendo ſatis, vota vel præcepta obſeruando, oleum & operam ſe perdere.

XXVII.

Vtile eſt igitur, non etiam, vt Eccleſiæ ſiat ſatis, ſimpliciter neceſſariū, emortuam ſatisfactionem redintegrare: Siquidem nulla extat Eccleſiæ lex, aut ſanctio, quæ eiuſmodi redintegrationem diſertè præcipiat, nulla eiuſdem Eccleſiæ conſuetudo, aut Patrum traditio, quæ ipſam eandem confirmet.

XXVIII.

Sunt tamen, vt iam ante crebro inculcatum eſt, eiuſmodi ſatisfactiones ex ſe, & coram Deo parū efficaces, etiamſi poſtea in gratiam cū Deo redeas: Nam vt maximè ſacramentales exiſtant, ſi Sacerdos iniunxerit, non ideo tamen per gratiam reuiuiſcunt: Non enim omne opus ſacramentale redeunte charitate vita donatur, ſed illud ſolum, quod ſpiritale ſemen, & quaſi radicem ex ſe relinquit: Cuiuſmodi vtiq; non eſt ſacramentalis ſatisfactio. Vnde qui tutò hinc emigrare volet, aut eam ipſam repetat, aut iniunctæ non abſimilem ſponte ſubeat.

XXIX.

Quærunt hîc quidam, omnem ne eam ſatisfactionem ratam habeat Deus, quam Sacerdos indicit: ita vt ea ritè expleta ab omni pœnæ vinculo liber ac immunis pœnitens euadat. Sed ſanè non eſt cur id in quæſtionem deuocetur, aut anxiè diſputetur: Certum eſt enim pœnam peccatis nullo modo parem, eam libertatem, & à pœnis immunitatem non præſtare.

XXX.

Dixerim nullo modo parem: ſiquidem æqualitas illa, & inter culpā & pœnam analogia non conſiſtit in atomo: ſed in quadam morali latitudine. Habent enim eum ferè in modum ſe ſatisfactorię pœnæ, quo rerum precia: hæc aut, vt probè norunt mercatores, inter iuſtitiæ limites ſunt diſparia.

XXXI.

Quare, non illi ſolùm ſatisfaciunt Deo, qui id totum dependunt, quod debebant ſimpliciter, ſed illi etiam, qui ad Sacerdotis arbitriū aliquanto minus dependunt. In cauſa itaq; maneat omnem indictam & ritè expletam ſatisfactionem pœnam poſt culpam expiatam reliquā eleuare: non omnē tamen à ſatisfactionis vinculo ſimpliciter liberare, ſed eam ſolum, quæ noxiarum quantitatem exæquat, quamuis non ad vnguem.

Et hęc breuiter de externa & abſolutoria ſatisfactione. De externa verò, & reconciliatoria ſimul: tum etiam de cumulata Chriſti Domini noſtri ſatisfactione, propediem, eodem Chriſto duce & auſpice, diſſeretur fuſius.

LAVS DEO.

AMICE LECTOR,

Memineris in titulo legendum eſſe, parte. in ead. pag. Matthæi. par. 1. Theſ. 1. in hac deinceps parte. par. 2. Theſ. 13. Neotheologi iſti. par. 3. Theſ. 13. ſatisfactoriū. par. 4. Theſ. 14. eiuſmodi par. 5. Theſ. 2. ſatisfactionis modum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE